1. Gen: 1. Si tempus cum cœlo & terra esse cœpit, non est inveniri tempus quando Deus nondum fecerat cœlum et terram. August: de Genesi contra Manich: lib: 1. cap: 2.

In principio fecit Deus cœlum et terram. Quibus nominibus universalis est significata creatura, vel spiritalis et corporalis quod est credibilius; vel magnæ duæ mundi partes, quibus omnia quæ creata sunt continentur, ut primitus eam totam proponeret, ac deinde partes eius secundum mysticum dierum numerum exsequeretur. id: de Civit: Dei lib: 11. cap: 33.

Quærentibus Manichæis quid agebat Deus antequam faceret cœlum et terram; respondet August: Deum in principio fecisse cœlum et terram, non in principio temporis, sed in Christo, qui se principium vocat. Johan: 25. de Genesi contra Manich: lib: 1. cap: 2.

1. Gen: 2. Non per spatia locorum superferebatur aquæ ille Spiritus, sicut sol terræ superfertur, sed per potentiam invisibilis sublimitatis suæ. lib: eod: cap: 5.

1. Gen: 1. In principio fecit Deus cœlum et terram: non quia hoc iam erat, sed quia hoc esse poterat. id: cap: 5.

In principio fecit Deus cœlum et terram, quasi semen cœli & terræ, cum in confuso adhuc esset cœli & terræ materia. ib. sed quia certum erat, inde futurum cœlum & terram, iam ipsa materia cœlum & terra appellata est. ib.

1. Gen: 2. Super aquam ferebatur Spiritus Dei, sicut superfertur rebus fabricandis voluntas artificis. ib.

1. Gen: 5. Vocavit diem lucem est, vocari fecit: quia sic distinxit omnia & ordinavit, ut & discerni possint & nomina accipere. id: de Genesi contra Manich: lib: 1. cap: 9.

1. Gen: 9. Congregetur aqua in congregationem unam: hoc dicitur, ut illa materia corporalis formetur in eam speciem quam habent aquæ istæ visibiles. Ipsa enim congregatio in unum est, ipsa [illegible] formatio quas videmus & tangimus: omnis enim forma ad unitatis regulam cogitur. Quod dicitur appareat arida, quid aliud intelligendum est, nisi ut illa materia accipiat visibilem formam, quam nunc habet terra ista quam videmus & tangimus. id.

Gen: 1. 4. Non mihi videtur ab operibus Dei absurda sententia, si cum lux illa prima facta est, Angeli creati intelliguntur, & inter sanctos Angelos et immundos fuisse discretum, ubi dictum est: Divisit Deus inter lucem et tenebras. Solus quippe ille ista discernere potuit, qui potuit etiam prius quam caderent, præscire casuros, & lumine privatos veritatis in tenebrosa superbia remansuros. Aug: de Civit: Dei lib: 11. cap: 19.

Vers: 4. 10. 12. 18. 21. 25. Vidit Deus quod bonum est: quid hoc est, nisi operis approbatio secundum artem facti, quæ sapientia Dei est. Non enim cum factum est, tum didicit bonum esse. Dum ergo videt quod bonum est, quod nisi vidisset antequam fieret, non utique fieret, docet bonum esse, non discit. ib.

Ubi vidit bonum esse quod fecit, ibi bonum esse vidit ut faceret. ib.

Nec quia factum vidit, scientiam duplicavit, vel ex aliqua parte auxit, tanquam minoris scientia fuerit priusquam faceret quod videret: quod tam perfecte non operaretur nisi tam perfecta scientia, cui nihil ex eius operibus adderetur. ib.

Gen: 1. Vers: 3. 4. Quia tria quædam maxime scienda de creatura nobis oportuit intimari, quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit, Deus dixit, inquit, fiat lux, & facta est lux, & vidit Deus lucem quia bona est. Si ergo quærimus quis fecerit, Deus est: si per quid fecerit, Dixit, fiat, & facta est. Si quare fecerit, quia bona est. ib.

Nec author est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei verbo, nec causa melior, quam ut bonum crearetur a bono Deo. ib.

cap: 1. vers: 4.
Et vidit Deus lucem quia bona est.
Quibus verbis ostenditur non eluxisse Deo insolitum bonum, sed placuisse perfectum. id.

Aquas (quod perversissimae atque impiae vanitatis est) negant quidam factas a Deo, quoniam nusquam scriptum est: Dixit Deus, Fiant aquae. Quod possunt simili vanitate etiam de terra dicere: nusquam enim legitur: Dixit Deus: Fiat terra. Sed inquiunt scriptum est: In principio fecit Deus caelum et terram. Illic ergo et aqua intelligenda est, uno enim nomine utrumque comprehensum est. Ipsius est mare, et ipse fecit illud. Psalm: 94. Augus[tinus] de Civit: Dei libri 11 cap. ult.
Qui nomine aquarum quae super Coelos sunt, Angelos intelligi volunt, ponderibus elementorum moventur, et ideo non putant aquarum fluidam gravemque naturam in superioribus mundi locis potuisse constitui: qui secundum rationes suas, si ipsi hominem facere possent, non ei pituitam quae tanquam in elementis corporis nostri aquarum vicem obtinet, in capite ponerent: ibi enim sedes est phlegmatis secundum Dei opus utique aptissima. ib.

Misc Mss Box 24 Folder 18